




EPICEDIA
In improvisum, ast pium
obitum

Clarißimi, Doctißimi & Consultißimi Viri DN.

WILHELMI MARSTALLERI
U. J. D. nec non


Jllustriss: Principis ac Domini, Dn. ULDARICI, Ducis Stetinensis Pomeraniæ &c. Consiliarij dignissimi,

Qui 23. Septembr: intra 2. & 3tiam pomeridianam piè in Christo, non sine maximo amicorum luctu obdormivit.


scripta
condolentiæ ergò à cognatis & amicis.

STETINI,
In valle Marianâ Typis Duberianis.

D
Ol
Au



Ti
Na
Vic
Nu
Co
Qu
Illu
Erg
Tu
Atc
Te



I.

SCHEDIASMA

Ad

Clariſs. & Excellentiſsimum Virum

DN. D. CONSTANTINUM

OESLERUM, ILLUSTRISSIMÆ Aulæ Sedinenſis Archiatrum, ad finem & collegam plurimùm obſervandum, teſtandæ condolentiæ ergò.



ONSTANTINE animum Conſtantem robore firma,
Nec tu cede malis, ſed contra fi miorito,
Caſibus in dubijs, ſors quando Noverca novercam
Tradit opem, nec parcere vult triſtiſsima Parca.
Natum denatum quondam Schola Leucoris ampla
Vidit, & invidit, columen, lumenq; Senectæ.
Nunc Generum abripuit, dignum qui viveret annos
Complures, propter probitatem, jusq; decusq;
Quæ dum juſta parat, MORS eſt Reparatio vitæ,
Illud A. M. O. in Dolco verſum, vertente IEHOVA;
Ergò manum Domini, cui ſortes ſemper obortas
Tu commiſiſti, cognoſcas numine dextro,
Atq; feras placidè, quod non mutare potiſsis,
Teq; tuosq; omnes ſoletur Trinus, & unus.

I. Valentin VVinther. D.

Mœsti Jambi.

Ad Eundem Dn. D. Constant.
Oeslerum.

HEu! condolendum Amice Vir, Clarißime
DOCTOR, quòd experiare tot gravißi-
(mas
Clades tuâ in senectâ, & in tuâ domo;
Eheu! Hyems octava nondum transijt,
Quâ VVITTEBERGÆ perdidisti filium,
Caram tibi sobolem, tuæq; conjugi
PHILIPPUM, in ipsâ ætatis ἀκμῇ & flosculo
Teneræ juventutis; Novi (heu!) rursum tibi
Nati subinde sunt dolores anxij:
Mors namq; Matrem *hinc abstulit; paulòq; post*
Modò hunc, modò alterum ex tuis Adfinibus
Inimica subtraxêre Fata & invida;
(At heu!) tuas iterum ingredi conata sunt
Ædes, & inde (proh!) virum bene meritum,
Probum, piũ, juveneq; adhuc, Generum tuũ,
Vitâ magis diutinâ dignißimum
Traxêre, Summo *sic volente* Numine,
Atq; ita Tibi, Uxori, tuæq; Filiæ
Viduæ, relicto trimulo *atq;* bimulo

Luctum

Luctum gravem, curas dedêre & lacrumas.
Quid verò agendum? Heu condolendum & intimis
Votis precandum, avertere ut velit DEUS
Similes ab OESELERIANIS *ædibus*
Jn posterum casus, piisq; manibus
Vitam benigniorem ibi in cœlis dare.

And. Hiltebrandt. D.

ALIUD.

JN nova fert animus nunc rursum funera questus
Dicere, tu lessum suggere Phœbe mihi.
Non satis unus erat luctus, nam sustulit anno
Hoccè bonos plures mors sicelice viros.
Prima tulit mœsti nobis exordia fletus
Schwalgius, hic Patriæ Syndicus urbis erat.
Hujus morte viri jacturam Publica Res est
Passa gravem, passa est Curia nostra gravem.
Altera Martinus justissima causa doloris
Marstallerus erat, vir gravis ingenio,
Iura Palatini Comitis, Lateranaq; signa,
ROMANI CÆSAR *cùi dedit* IMPERII.
Hujus præpropero Letho Pomeranidos aula,
Totaq; jacturam patria nostra tulit,
Tantus consilio, tantus Virtute, Fideq;,
Tantus & auxilio, tantus honore fuit.

Non satiata viris fuit his mors improba, at eccum
VVILHELMVM strictâ nunc ſicilice ſecat,
Nempè illum, Pietas quem, candor, & inclyta ſama
Excelſa exelſi vexit ad aſtra poli.
Jlle per ingenuas latè caput extulit artes,
Et probitatis amans Iuſtitiæq; fuit;
Hinc quà cygniferi Varnæ rivalis Eliſter,
Largo Pegaſeas flumine ſpirat aquas,
Athlothetes illi Themidos, mandante ſenatu
Cothmannus Laurum, lemmata certa dedit.
Immò etiam claras urbes, atq; oppida vidit,
Vidit opes, arces, Jtala terra tuas.
Galle tuas urbes, tuâ vidit regna, Britanne,
Et bellatricis regia ſceptra manus.
Multa tulit, fecit, vidit, ſudavit; at eheu
Occidit, atq; hodiè contumulandus humo eſt.
Gloria ſic tranſit mundi, ſic ibimus, ibunt,
Aut cras aut hodie: mors ſua quēq; manet.
O ſi centeni fierem nunc luminis heres,
Qualis Ariſtoris filius Argus erat.
Limpidiora mihi vel ſaltem Biblidos eſſent
Si mea vel Niobes lumina luminibus;
Non mihi ſufficerent threni, quêis triplice poſſem
Pro morte hos cineres condecorare virûm.
DVX VLRICE Tui, qui Te juvenilibus annis
Inſtituit, defle funera pædotribæ.
Et vos qui fidi nomen retinetis amici,
Ille quibus vitæ tempore carus erat.

Flete

Flete graves mecum casus, & carmine docto
VVilhelmi ad cippum condecorate animam.
Sed Tu fecisti quid CONSTANTINE, tot agros
Qui curas medicâ, non sine laude, manu?
Heu cur non genero das pharmaca sana bibenda,
Et cur non illi porrigis antidotum?
Sed nec Apollineo radix generascit in horto
Quæ posset vires tollere Morta tuas.
Mortuus est Chiron Saturni filius, & qui
Prætidas helleboro restituit Genio.
Perpetuò poßet medicus si extendere vitam
Nemo foret doctus quin medicus fieret.
Sed nihil est; lex est hæc cunctis publica dicta:
Quæ semel & nasci nos jubet, atq; mori.
Natus ad hanc legem Doctor VVilhelmus; eâdem
Mortuus. hoc factum quid juvat ergò queri?

Petrus Neomarcus P. L.

Ad Dn. D. CONSTANTINVM OESLERVM, Virum clarißimum, fautorem suum honorandum.

NAtos parens carissimus
Caros amore diligit
Velut, bonos quos, pectore,
Cupit, mala indulgentia
Ne rumpat hos, luxus soli
Ne rumpat hos, luxus sali
Blandisve fallat gaudiis:
Ergo Magistri hos subijcit
Inspectioni, ut corrigat
Errata virgis filij.

Parens Deus nos filios
Caros fovendo diligit,
Natos suos carissimos,
Cum sæpe morbis corpora
Coercet, & gravissimis
Plagis finit tabescere;
Hũc phrenesi, hũc profluvio,
Dysenteria hũc, calculo hũc,
Febris dolore hũc, asthmate
Vexans, facit tabescere.

Quæ,

Quæ, corde si quis verbera
Profecta constantissimo
Patrioq; constans sustinet,
Tyrannus huncce non rapit
Sub jura nigra Tartari:
Sed morte claudens lumina,
Cæli theatra percipit.

An non mihi Doctissime
OESLERE, Constantissimus
hujus rei sat sufficis
Testis? Deus carissimum
Te felicium, cum plurimis
Morbis, tuam & prosapiam
visitans, facit tabescere?

Nam quid PHILIPPUM filium,
Dicam, Minervæ deditum
Alumnum, atrocis spiculis
Raptum necis? quid cæteros
Prosapiæ Clarissimos
Cognationis plurimos
Dicam? necis qui spicula
Sensêre, quorum testis est
MARSTALLER iste nominis
Magni vir ille nominis,
Martinus, abreptus pio
Nuper tuo consortio:
Et quod magis, Clarissimus
Germanus illius, Gener
Carus tuus, clarissimum
Phæbi decus, simul cadens
Est testis, eheu! funere.

An hocce non, Doctissime
OESLERE Constantissime,
natum *Magistri* tradere
inspectioni, filium
Virgis satisq; cedere est?


Deus sed *huncce diligit,*
Quem plurimis doloribus,
periculisq; subjicit,
ut hinc probet Constantiam,
Fidem, & benignus pharmacum
Præstet crucis sub pondere
Presso, ferenda ut perferat.

Quod te Virum Constãtiæ
Soletur hocce funere
Tristem, Deo ut cũ fœnore
Hoc nunc lubens, nõ fletibꝰ
Lites: sepultis lachryma
Nam nulla luctus profuit,
Vivis dolor sed officit
Nimiꝰ: modum quare Socer
Serva tuis in luctibus;
Cum sit pio nunc filio
Bene, atq; agat in gaudio
Vitam perennem, splendido
Quam non mutaret cœlitꝰ
Auro, solive gaudio.

Syncera erga totam familiam condolentia
ergô
raptim properatum
à
Christophoro Stechero H. M.

FINIS.




Depozyt w Bibliotece Jagiellońskiej
06393

